

1751/7  
27  
34  
FACULTATIS JURIDICÆ DECANVS  
JO. CHRISTOPHORVS  
SPITZ, JCTVS,

PRÆLAUDATÆ JURIDICÆ FACULTATIS NEC NON JVDICII ELECTORALIS PRO-  
VINCIALIS ASSESSOR AC PROFESSOR PVBLICVS ET CIVITATIS ERER-  
DIENSIS CONSVL,

OMNIVM ORDINVM AVDITORES

AD  
LECTIONEM CVRSORIAM

IN  
*L. 32. ff. de hered. instit.*

ET  
DISSERTATIONEM INAUGVRALEM

DE  
NATVRA ET EFFECTV CON-  
STITVTI POSSESSORII

A  
PRÆNOBILI AC CLARISSIMO JVRIVM CANDIDATO  
CAROLO GOTTLOB KOCH,


TORGAVIENSI SYNDICO S.  
IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI

DIE X. MAJI MDCCLI.

HABENDAS  
DECENTER INVITAT.

ERFORDIÆ, LITTERIS HERINGIANIS, Acad. Typogr.

*de etymologia Testamenti*



**J**ustinianus Sacratissimus Imperator in *pr.*  
*Inst. de Testam. ord.* Testamentum, ait, ex  
inde sic dictum, quod sit testatio mentis,  
quam etymologiam seu notationem ac de-  
rivationem nominis a natura & effectu  
Testamenti desumptam falsam atque inep-  
tam ridet Grammatici atque rejiciunt, hac ratione  
moti, quod sicuti *vestimentum* non posset dici vestitio  
mentis, *excrementum* excretio mentis, atque *calciamentum*  
a mente derivari nequeat, ita etiam Testamentum ex  
inde deduci haud valeat. LAURENT. VAL. *6. eleg. 36.*  
AVL. GELL. *l. 6. c. 12.* quibus quoque philosophi acce-  
dunt, qui propterea propositam Imperatoris notatio-  
nem vitiosam ac illegitimam pronunciant, quia longe  
latior foret notato, nec cum eo converti posset; constat  
etenim codicillos ac donationes de mente & voluntate  
hominis aequae, atque Testamentum testari, quas tamen  
testamentum esse nemo affirmabit, & putant quoad  
hanc nominis testamenti derivationem verius esse, il-  
lud formatum esse a participio *testatus*, sicut a *vestitus*  
Vestimentum, ab *excretus* excrementum. Sed tamen,  
ut a sententia Imperatoris justiniani sit recedendum,  
argumenta praedicta non movent, nam sicuti Paulus  
Jctus

JCeus in *L. 2. §. 2. ff. de reb. cred. & ex eo Tribonianus*  
*pr. Inst. quib. mod. ve. contrab. obl. mutuum ex eo dictum*  
esse asseruit, quod ex meo fiat tuum: ita etiam Servum  
sulpitium secutus, testamentum a testatione mentis di-  
ctum esse *pr. Inst. de Testam. ord.* statuit, & quod prius  
obstans argumentum attinet, neganda est consequentia,  
quia et si quibusdam in vocabulis additio ista syllabi-  
ca *mentium* otiosa est, ut in vestimento, calciamento  
non tamen exinde inferendum, quod idem in omni-  
bus accidat: vestimentum siquidem & calciamentum  
cum mente parum aut nihil habent commune, unde  
etiam non, nisi ineptissime à mente derivarentur. Te-  
stamentum vero cum mente plurimum habet commu-  
ne, quia ut dictum, ad hoc comparatum est, ut de men-  
te & voluntate defuncti ultima testetur. Notandum  
etiam denique est, derivationem duplicem esse, Gram-  
maticam unam, alteram logicam. In ista magis vox,  
quam res voce significata spectatur, magisque attendi-  
tur, quomodo vox a voce quam quomodo res illis vo-  
cibus significatae ab invicem deriventur, in hac logica  
autem magis ad mentis intelligentiam respicitur, & po-  
tius rem ipsam significatam, quam vocem explicat;  
Quam ob rem licet praesens Testamenti notatio forte  
non sit grammatica, logica tamen est, utpote quae ad-  
rem ipsam magis declarandam, quam ad nudam vo-  
cem explicandam pertinet. Alterum quoque argu-  
mentum parum ponderis habet, cum non omnis no-  
tatio aequata sit suo notato, ut etiam ipsi philosophi  
fatentur, sed plerumque notatio latior sit suo notato,  
unde etiam argumentum a notatione ad notatum non  
procedit affirmative, sed solummodo negative, hinc  
non valet consequentia, si quis ita inferret: Est Testatio

) 2

mentis

mentis, ergo est testamentum, At sic tam valet: non est testatio mentis, ergo non est testamentum. De origine Testamenti quoque ingens inter juris nostri Interpretes existit Disceptatio. Plerique autem in eam condescendunt, sententiam quod Testamentum quoad formam quidem sit juris civilis, quoad originem autem sit juris gentium; Formam enim Testamenti ex jure civili descendere, ipse Imperator justianus in §. 3. *Inst. de testam. ord.* indicat, illud autem origine esse juris gentium sequentibus & aliis argumentis probare nituntur, & quidem 1. quod de jure Gentium cuique inter vivos de rebus suis disponendi libera competat Facultas, nisi aliunde a legibus prohibeatur §. 40. *Inst. de rer. div.* adeoque de rebus suis per ultimam voluntatem disponendi potestatem multo magis habere debeat, cum dispositio per ultimam voluntatem dispositione intervivos sit favorabilior *L. 1. C. de ff. Eccles. arg. 101. tit. Inst. de leg. Fus. canin. toll.* 2. tam sacras quam Profanas testari Historias, quod alii populi præter Romanos testamenta condiderint, *vid. Gen. 25.* ubi Abraham testamentum fecit, in eoque filium Isaac omnium bonorum suorum heredem ac successorem instituit, illud autem quod Romanis non esset proprium, illud non juris civilis, sed juris gentium dicendum foret, sicuti 3. Maris & Fœminæ conjunctio juri naturali adscriberetur *pr. Inst. de jure nat. gent. & civ.* quamvis forma ejus juris civilis esse dicatur, & 4. Jus succedendi ab intestato ob tacitum parentum votum ac voluntatem præsumptam juris gentium esset, hinc etiam æquitas exigeret, ut voluntas Decedentis expressa eodem jure conservaretur, illique originetus adscriberetur. Alii tamen non minoris numeri Authores in contrariam

senten-

sententiam abeunt statuentes: illud jus testandi, quod jure Romano pro legitimo reputatur, civium Romanorum & quoad originem, & quoad formam proprium esse, cum in §. 3. *Inst. de testam. ord.* testandi forma partim ex jure civili veteri, partim ex jure prætorio, partim denique ex Principum Constitutionibus descendere, asseratur, atque sic, cum ex eodem jure formam suam habeat, eidem procul dubio origo sit adscribenda; Origo enim à Forma, quæ dat esse rei, separari haud posset, atque etiam Facultas testandi juxta *L. 1. ff. ad L. Falcid.* ex legibus duodecim tabularum descenderet, quæ propria juris Romanorum foret & Imperator Justinianus in §. *fin. Inst. de us. & habit.* testamentum ad modos acquirendi civiles referat, ac ex forma & qualitate a jure civili super addita res quæque civilis iudicetur. §. 2. *Inst. de patr. pot. & L. 6. ff. & J. & J.* Hique posterioris sententiæ Fautores contraria prioris sententiæ argumenta resolvendo respondent, hoc loco non de quovis testandi modo sermonem esse, sed de eo saltem, qui apud Romanos usitatus & receptus foret, atque hunc cum aliis gentibus Romanis non communem juris civilis atque civium Romanorum proprium esse propugnant, concedentes, quod aliis populis ex jure gentium & naturæ facultas testandi competat, quo argumenta obstantia colliment, eo quod hoc non impugnent, sed tantummodo testamentum civium Romanorum juris civilis esse asserant. Hoc definitur: quod sit ultima voluntas directam heredis institutionem continens, debet autem ante omnia esse voluntas Testantis propria, etenim in alterius tertii voluntatem collata non subsistit, nisi per indirectum, utpote si tertius adjiciatur permodum conditionis V. G. MÆVIUS

fit heres, si CAJVS decem dederit pauperibus, aut causa pia agatur BRVNEM. ad L. 32. ff. de hered. instit. quoniam autem temporis ratio, ut subsistam, mandat, hinc mox allegatam Legem in Lectione cursoria pluribus dilatabit

PRAENOBILIS ET CLARISSIMVS

Jurium Candidatus

CAROLVS GOTTLOB KOCH

Natus VI. Jan. MDCCXVII. in pago Civitati, Grosenhayniensi proxime adjacente, Lenz, dicto, Patre M. JOHANNE CHRISTIANO KOCH, tunc temporis illius loci Pastore, postea Superintendente Dioeceseos Bischoffswerdensis & praedictae civitatis pastore primario, Matre JOHANNA SOPHIA filia CHRISTIANI WILHELMI COTAE quondam Dresdae Protonotarii Regii. Hi parentes optimi, quibus adhuc juvenis orbatus, pro affectu quo ipsum complectebantur, nil magis curae habebant, quam ut elegantiorum litterarum primordia capesseret; hinc cum infinem Viri & Pietate & Eruditione tunc temporis conspicui M. PETZSCHII Rectoris Lom-mazensis, nunc defuncti Informationi demandatus; Deinde Eruditione ac ductu Singulari M. SILLIGII Con-rectoris quondam meritissimi, Illustris, quod Afra Mif-niae fovet, lycei, usus, posthac in dictum lyceum assumptus Alumnorum ordini adscriptus, ibidem continuo lustro commoratus est, tandem intimioribus Mi-  
nervae



nervæ penetratis, limina Academiae Lipsiensis salutavit, & ut ibidem Sanioris Philosophiæ Principiis erudiretur Lectionibus celeberrimi AVG. FRID. MÜLLERI sedulo interfuit, postea cum a primis juventutis Annis Themidos castris animum dicasset suum. *Excellentissimos ac illustres* RIVINUM, BAUDISIVM, HOMMELIVM, BAVERVM, CRAMERVUM & MENCKENIVM in cursu juris Præeuntes ac Manuducetes fidelissimos expertus est, atque etiam exposuit, ut cum Theoria praxin juridicam consolidaret, celeberrimi KAESTNERI collegium elaboratorio-practicum non absque fructu absolvit, quo peracto in Præfectura Electorali Lipsiensi per biennium quid in praxi usu veniat, expertus est, dein juxta normam legis saxonicæ in Advocatorum numerum receptus à Senatu Torgaviensi imprimis Actuarius ac intuitu ejus, quod partium suarum maxime fuerit memor, post octo fere Annos syndicus denominatus est, & cum nunc labores suos juridicos supremo gradu doctorali coronare è re sua esse existimaverit, hinc Universitatem nostram Hieranam accessit, ac Ordini nostro desiderium suum aperiens, ut ad examen Candidatorum juris rigorosum admitteretur petiit; Ordo noster ejus desiderio lubenter annuit diemque examini præfixit, in quo Leges ad elaborandum eidem assignatas fundamentis juris congruenter exposuit atque ad propositas juris quæstiones solide respondit, adeo, ut unanimi consensu ad ulteriora Specimina admissus ac supremis  
jurium

jurium honoribus omnino dignus judicatus sit. Igitur proxima die Lunæ quæ erit X. May in Collegio Jctorum Majori horis consuets *ad dist. L. 32. ff. de hered. instit.* Lectionem cursoriam, eaque finita Disputationem inauguralem

DE  
**NATVRA ET EFFECTV CON-  
STITVTI POSSESSORII**

habebit. Ad hos Actus solennes Magnif. ac Consultif. Dn. Restor, Academiæ Proceres & cives, Litterarum Patroni ac Fautores hisce solenniter invitantur, Publ. sub Sigil. Fac. Jurid. IX. Maji MDCCLI.



Erfurt, Diss., 1748-51

X 238 7035

ULB Halle


3


006 771 165



VD 78







B.I.G.

Farbkarte #13

1751/7  
27  
34  
FACULTATIS JURIDICÆ DECANVS  
O. CHRISTOPHORVS  
SPITZ, JCTVS,

ELAVDATE JURIDICÆ FACULTATIS NEC NON JVDICII ELECTORALIS PRO-  
VINCIALIS ASSESSOR AC PROFESSOR PVBLICVS ET CIVITATIS ERFOR-  
DIENSIS CONSVL,

OMNIYV ORDINVM AVDITORES

AD  
LECTIONEM CVRSORIAM

IN  
*L. 32. ff. de hered. instit.*

ET  
DISSERTATIONEM INAVGVRALEM  
DE

NATVRA ET EFFECTV CON-  
STITVTI POSSESSORII

A  
RRÆNOBILI AC CLARISSIMO JVRIVM CANDIDATO  
CAROLO GOTTLOB KOCH,

TORGAVIENSI SYNDICO S.  
IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI

DIE X. MAJI MDCCLI.

HABENDAS  
DECENTER INVITAT.

ERFORDIAR, LITTERIS HERINGIANIS, Acad. Typogr.  
*de etymologia Testamenti*

